



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Patriarchæ Ierosolymitano apostolicæ sedis Legato, & suffraganeis ejus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

indebitos fideliter & viriliter assistentes, terram ejus & jura sicut vestra propria defendatis, memores quod vestra res agitur paries cum proximus ardet, & dum praefatum nitimini regnum defendere, propriam securitatem noscimini procurare. Nos enim venerabili fratri nostro Patriarchae Hierosolymitano apostolicae sedis Legato nostris damus litteras in mandatis ut vos ad id efficaciter moneat & inducat, & si viderit expedire, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento compellat. Datum Laterani v. Idus Januarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

*In eundem modum scriptum est magistro & fratribus Hierosolymitani Hospitalis. In eundem modum scriptum est Comiti Tripolitano.*

*Super hoc scriptum est Patriarchae Hierosolymitano apostolicae sedis Legato ut eos ad id efficaciter moneat & inducat, & si viderit expedire, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis impedimento compellat.*

**PATRIARCHAE IEROSOLYMITANO**  
*apostolicae sedis Legato, & suffraganeis ejus.*

*Epist. 210.  
Ut populos in  
Regis fide con-  
firmet.*

**Q** Vanto ex dissensionibus Principum & magnatum Ierosolymitanae provinciae graviora sapius discrimina evenisse conspicimus, tanto sollicitius quieti ac paci ejusdem intendere affectamus. Ne igitur propter obitum clarae memoriae . . . Reginae uxoris carissimi in Christo filij nostri Ierosolymitani Regis illustris aut alia quacunque causa regnum ejus, ad cujus regimen vobis postulantis est assumptus, a quoquam temere perturbetur, ac per hoc contingat scissuras & scandala in eadem provincia generari, universitati vestrae per apostolica scripta mandamus quatinus universos regni fideles ut in ipsius Regis & . . . filiae suae fidelitate firmi stabileque persistant, sedulis exhortationibus inducentes, rebelles, si qui fuerint, aut alios quoslibet ipsius Regis aut regni molestatores indebitos, cum ab eo fueritis requisiti, per censuram ecclesiasticam sublato appellationis obstaculo compescatis. Vos denique, fratres Patriarcha & Episcopi, super vobis ipsis &c. Datum Laterani v. Idus Januarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

**I L L V S T R I R E G I**  
*Hierosolymitano.*

*Epist. 211.  
Hortatur enim  
ad defensionem  
terrae sanctae.*

**V**enientem ad apostolicam sedem venerabilem fratrem nostrum Sidonensem Episcopum consueta benignitate recepimus, & super obitu clarae memoriae . . . Reginae uxoris tuae nobis nuntiato per

ipsum paterno tibi condolentes affectu, ea quae idem Episcopus super tuis ac regni tui negotiis sollicitè ac prudenter, sicut vir providus & fidelis, proposuit coram nobis, quantum decuit curavimus exaudire. Monemus autem serenitatem tuam, rogamus & exhortamur in Domino quatenus sollicitè pensans discrimina & jacturas quas Hierosolymitana provincia ex dissensione Regum ac Principum consilientium in eadem multoties noscitur incurrisse, ad arma contra Christianos movenda non quibuslibet pertraharis injuriis aut ampliandi regni cupidine inciteris, sed in sapientia vincens malitiam, & de regno cogitans sempiterno, ad ea pro quibus naturalis soli dulcedinem reliquisti, defensionem videlicet terrae sanctae, tota mente diligenter intendas, nec cautelam in proferis nec constantiam deserens in adversis; sed omni tempore Dominum benedicens, & petens ab eo ut dirigat vias tuas & omnia consilia tua stabiliat in se ipso, qui suos non solum à tribulationis angustia liberat, sed etiam in ipsa tribulatione dilatat, ut timentibus Deum omnia cooperentur in bonum, & cum se consumptos putaverint, ut Lucifer orientur. Nos vero in proposito gerimus & habemus in votis honores tuos & jura tam in cismarinis partibus quam etiam transmarinis defendere & ad subventionem tuam efficaciter, si desuper datum fuerit, laborare. Datum Laterani v. Idus Januarij, pontificatus nostri anno quintodecimo.

**ARCHIEPISCOPO NARBONENSI**  
*apostolicae sedis Legato, & Episcopo Regensi, & magistro Theodisio Canonico Lanuensi.*

**E** T si refecundae sint putridae carnes, ne ad partes sincerarum corruptionis contagium extendatur, sic tamen cautè debet & providè manus medentis apponi ut abdicantur ea cautela corrupta quod sincera per improvidentiam non laedantur. Accipimus sanè per litteras & nuntios carissimi in Christo filij nostri Petri illustris Regis Aragonum quod postquam adversus Provinciales hereticos mandatum apostolicum emanavit, cruce signatis terram ingredientibus Vicecomitis Biterrensis, eidem ipsius Regis subsidium imploranti tamquam domini specialiter dexteram subtraxit auxilij & omnis consilij remedium denegavit, & ne super hoc Ecclesiae propositum impediret, elegit tunc quibusdam deesse catholicis, ne adesse commixtis ha-